SANCTI
GREGORII
PAPÆ I.
COGNOMENTO MAGNI,
OPERA OMNIA.

Ad manuſcriptos codices Romanos, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta, & illuſtrata notis.

Studio & labore MONACHORUM *Ordinis Sancti Benedicti, è Congregatione Sancti Mauri.*

TOMUS PRIMUS.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SALAMANCA

PARISIIS,
Sumptibus CLAUDII RIGAUD, viâ Citharæâ.

M. DCCV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

SANCTISSIMO PATRI CLEMENTI XI. PONTIFICI MAXIMO.

INTER omnia quæ tui Pontificatus exordium commendarunt ſanè plurima & præſtantiſſima, BEATISSIME PATER, illud præ ceteris laude digniſſimum nobis videtur, quòd adulatoribus valere juſſis, ſolos audire volueris antiquæ ac ſpectatæ virtutis viros, qui liberrimè monerent, & ſine fuco vera dicerent. Nec alia quidem ratione tuorum conſiliorum participem facere potiſſimùm decreviſti ſanctiſſimum Abbatem Claræ-vallenſem, propter ſummam loquendi, monendi, etiam arguendi libertatem tibi gratiſſimum: cujus idcirco libros de Conſideratione ad Eugenium Papam liberiori ſcriptos

Cuncta fugiens, Portum Monaſterii Petii.

SANCTI GREGORII PAPÆ LIBRI MORALIUM *SIVE* EXPOSITIO IN LIBRUM BEATI JOB.

[a] EPISTOLA

In qua Operis ſui tempus, occaſionem, diviſionem, inſtitutum ac dicendi & interpretandi modum explicat.

Reverentiſſimo & ſanctiſſimo [b] fratri Leandro coepiſcopo, Gregorius ſervus ſervorum Dei.

Cap. I. Opus ſuum, quando inchoaverit.

DUDUM te, frater beatiſſime, in Conſtantinopolitana urbe cognoſcens, cùm me illic Sedis Apoſtolicæ [c] reſponſa conſtringerent, & te illuc injuncta pro cauſis fidei [d] Wiſigothorum legatio perduxiſſet, omne in tuis auribus, quod mihi de me diſplicebat, expoſui: quoniam diu longéque converſionis gratiam diſtuli, & poſtquam cæleſti ſum deſiderio afflatus [e] ſæculari habitu contegi melius putavi. Aperiebatur enim mihi jam de æternitatis amore quid quærerem: ſed inolita me conſuetudo devinxerat, ne A exteriorem cultum mutarem. Cúmque adhuc me cogeret animus, præſenti mundo quaſi ſpecietenus deſervire, cœperunt multa contra me ex ejuſdem mundi cura ſuccreſcere, ut in eo jam non ſpecie, ſed, quod eſt gravius, mente retinerer. Quæ tandem cuncta ſollicitè fugiens, portum monaſterii petii: & relictis quæ mundi ſunt, ut fruſtra tunc credidi, ex hujus vitæ naufragio nudus evaſi. Quia enim plerumque navem incautè [f] religatam, etiam de ſinu tutiſſimi littoris unda excutit, cùm tempeſtas excreſcit: repentè me, ſub prætextu Eccleſiaſtici ordinis, in cauſarum ſæcularium pelago reperi; & quietem monaſterii, quia habendo non B fortiter tenui, quàm ſtrictè tenenda fuerit, perdendo cognovi. Nam cùm mihi ad percipiendum ſacri altaris miniſterium, obedientiæ virtus opponitur, hoc ſub Eccleſiæ colore ſuſceptum eſt, quod

Joan. Diac. l. 1. c. 7.

[a] Hujus epiſtolæ meminit S. Iſidorus Hiſpal. l. de Script. Eccl. cap. 27. *Scripſit, inquit, & quaſdam epiſtolas ad prædictum Leandrum, è quibus una in exſtitit lib. Job, tunc profeſſionis* [illegible] Unde *Proœmium* ſeu *Prologus*, in mſſ. Colbert. Germanenſ. Noviom. &c. appellatur: quæ forſaſſe cauſa fuit cur Epiſtolarum Regiſtro non inſcriberetur. Librum moralium Leandro dicatum teſtatur ipſe Gregorius his verbis: *Moralia quæ & hoc ipſum opus ad veſtram Reverentiam ſcripſi.* Lib. 1. ep. 42.

[b] Cod. Remig. [illegible] ab annis circiter 900 exaratus, *Patri Leandro.* De S. Leandro lege l. 3. c. 1. [illegible] Dialog. & plurimas Gregorii ad eundem epiſtolas. Ejus elogium inſeruit Mabillon. Sæc. 1. Bened.

[c] Id eſt legatio. Reg. S. Bened. c. 71. *Fratres qui pro quovis reſponſo proficiſcuntur*, id eſt negotio. Idem apud Græcos [illegible], *reſponſum*. Apud [illegible] ſub nomine Athanaſii, cujus opus inſcribitur *Doctrina ad Antiochum*, Tomo 2. novæ cl. Athan. p. 879. [illegible] dicitur, *qui procurandis Monaſterii negotiis propoſitus erat.* Porrò Leonem Magnum à Romanis Pontificibus primum, Apocriſiarium habuiſſe Conſtantinopoli in concilium, exemplo Alexandrini Epiſcopi, contendit doctiſſimus Queſnelius, ex ep. 84. [illegible] Leonis. *Vide Diſſert.* [illegible] ad an. [illegible] n. 4. pag. [illegible]

[d] *Seu Viſigothorum*, ut in antiquioribus cod. legitur. Hi erant Gothi Occidentales qui Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem occupabant. Oſtrogothi nuncupati ſunt Gothi Orientales.

[e] Editi excepto Guſſanv. *ſæcularem habitum contemnere*, contra mſſ. omnium fidem. Noſtram lect. confirmat Johan. Diac. l. 1. Vitæ S. Greg. c. 4. *Diu converſionis ſuæ gratiam longius protelabat, tutius ſe credens ſæcularium putans, ſi ſub Prætore urbis habitu mundi ſpecietenus deſerviret.*

[f] Colb. & Vindoc. *relictam.*